

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Gallus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

AQuæ vero Gallina apud veteres Aesculapio est immolari solita, salubritatis indicium erat: propteræ quod id sacrificii genus ideo ferunt institutum, quod harum caro levissimæ sit digestio-
nis, ac perinde languentibus commoda. Hujus rei locupletissimum testimonium, apud Angelum Colotium deprehendimus: magnam quippe pedum gallinaceorum copiam proximis diebus defor-
fam juxta cippum, in quo Romæ Aesculapii statua erat, loco qui hodie Vivarium appellatur: quis
enim tanto numero pedes ejusmodi eo concessisset, nisi sacrificiorum reliquias ibidem relinqueret
mos fuisset?

SECURITAS. CAP. XVI.

ATqui, veluti per Lauri surculum in ore Columbae, & per Platani folium in Ciconia nido securi-
tatem significari prodidimus, cur non etiam per gallinam, ad alam cuius Ruta ramusculus ap-
plicatus sit, securitatem eodem modo pingi, hieroglyphicumque sapere fateamur? siquidem, Africa-
nus in iis, quæ de agraria Constantinus Caesar colligi mandavit, ait, gallinas à fele tutas fore, si Ruta
sylvestris ramusculus sub ejus alam applicetur. Quin Democritus etiam tradit, eo præsidio munitas:
neque à Vulpibus, neque ab infesto quopiam alio animali contingi.

DE GALLO. CAP. XVII.

Gallinacei galli significata quædam dissimulare nostræ fuerit verecundia: utpote, qua vix falvo
verborum pudore scribi queant. Id tantum dicamus, gallum alitem, ejusdem nominis gen-
tem interpretari. Scimus gallinaceum aliquando gentem ipsam Gallicam prodigio Vitellii demon-
strasse, cui Viennæ pro tribunali jura reddenti, gallinaceus supra humerum, ac deinde capiti supera-
flitit, quod ipsum venturum in alcujus Gallicani hominis potestatem portendit, ut Tranquillus et-
iam interpretatur. Is mos ab Antonio, primo adverbariarum partium duce, oppressus est, cui To-
lofa nato, cognomen in pueritia Becco fuit: ea vero voce gallinacei, rostrum & olim appellabant,
& nunc uniuscujus alitis nuncupant: quam locutionem a Phrygiis, omnium antequissimis ema-
nasse alibi diximus, quod illi cibum Bee dicunt vocabulo genuino. Et orto Galliarum aduersus Ne-
ronem tumultu, Roma passim columnis adscriptum est, GALLI TE CANTANDO EXCITARUNT: apte
scilicet, ad ejusdem nominis gentem nuncupatione deflexa.

TIB. IMP. NEQUITIA.

Quantum vero ad alitis petulantiam pertinet, crediderim
Qelego pullum illum gallinaceum, qui exclusus est in manu
Liviae, Tiberium adhuc in utero gestantis, cum ipsa exploratu-
ra an esset marem paritura, ovm incubanti galinæ subduxisset,
idque nunc sua, nunc ministrarum manu adeo usque fovisset,
ut pullus excluderetur: non tam sexum in Tiberio portendisse,
quam salacitatem & procacitatem eam qua ille mox famosissimus
fuit.

PURITAS ANIMI.

CAP. XVIII.

Sed quando sanctius fuerit hieroglyphica illa referre, per quæ animi divinitatem ex galli simula-
chro apud veteres intelligi solitam, comprobemus? Pythagora præceptum est gallum nutrire:
quod nihil aliud sibi vult, nisi ut divinam animi nostri partem, divinarum rerum cognitione, quasi
cibo solido & coelesti propemodum ambrosia pascamus. Quare Socrates moriens cum animi sui di-
vinitatem, majoris mundi divinitati speraret se copulatum, Gallum Aesculapio, id est, animorum & horarum
Medico, jam extra omne morbi discrimen positus, debere se, dixit: cum enim de corpore migrandum
intelligeret, convaluisse prols, arbitrabatur. Ut vero interpretantur alii, ea de causa dictum hoc à
Socrate, quod lethali eo sumpto pharmaco, sanitatis beneficium jam sentiret, cum exiret à corpore,
quo



Ruta in gal-
linis securi-
tatis symbo-
lum.

Sueton. in
Vitellio. c. 9.

Herodotus
lib. 2.

Sueton. in
Neron. c. 43.

Præserit
candidum;
a quo etiam
affinen-
dum, quod
Minis facer
& horarum
nuncius.
D. Laertius
in Socrate.